



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XVI. De Congregatione S. Officii, Tribunalis universalis inquisitionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

Tribunal conferre beneficium, & instituere provisum potest & nemo alius sine vitio attentatorum. *De Luca l. c. n. 99.*
 Representat enim Rota Tribunal Pontificum, & ordinariam habet jurisdictionem, quæ habitualiter penes omnes Auditores existit, licet singuli solum sint Judices delegati, cum commissiones causarum inter illos per ordinem referendæ & explicandæ distribuuntur. *De Luca l. c. n. 5.*

CAPUT XVI.

De Congregatione Sancti Officii, seu Tribunali universalis inquisitionis.

§. I.

De Origine sacrorum Inquisitorum.

1. *Episcopis incumbit extirpare errores & hereses.*
2. *Cum id à quibusdam negligetur, instituti sunt inquisitores.*

3. Pri-

iverfam
 n eadem
 cum vul-
 tem ap-
 Trid. Dist.
 e in Ro-
 stiores
 lum po-
 Decreta
 quod ap-
 tiam al-
 æ; Quia
 tia mu-
 hoc est,
 per Tur-
 nte pro-
 runt. De
 Rota ad
 isa quæ
 dem de-
 o, quo
 causam
 rticulari
 um aut
 andaret.
 Benefi-
 c solum
 Tribu-

3. Primum inquisitorem fuisse B. Petrum de Castro novo putant nonnulli.
4. Sed verius primus hoc nomine appellatus fuit S. Dominicus.
5. Cujus Alumni per Italiam, Hispaniam & Sardiniam Inquisitores constituti sunt.
6. Inter primos fuit S. Petrus Veronensis.
7. In Italia munus Inquisitorum hoc tempore exercent PP. Dominicani, & Ordinis S. Francisci Minores Conventuales.
8. In Hispania vero Clerici seculares.
9. Ubi etiam instituta est Congregatio sancti Officii.
10. In cæteris Provinciis Catholicis funguntur Officio Inquisitorum Episcopi.
11. Etiam ubi inquisitores sunt ex jurisdictione ordinaria.

I.

INter cætera Episcoporum munera illud præ cæteris proprium ac præcipuum est, ut populum sibi concredicum dogmata veræ fidei doceant, eumque à perversis impiorum hominum doctrinis, omni diligentia ac cura tueantur.

2. Verum ut refert Simancas *de Cathol. instit. tit. 25. n. 4.* cum ob varias Episcopalis officii curas, & negotia, quibus

Sæpenumero implicantur Episcopi, ut pares omnibus esse non possint, vel propter eorum absentiam, vel aliquorum etiam ignaviam, aut imperitiam, Officium hoc tanti momenti in quibusdam locis neglectum fuerit; Ideo Romanus Pontifex Supremus universalis Ecclesiæ Pastor pro sollicitudine, quam habet, ne oves à Christo sibi commissæ hæreticâ lue inficiantur, demandavit munus inquirendi in pravam doctrinam, & animadvertendi in Hæreticos certis quibusdam Judicibus, qui ob id Sacri, & Apostolici Inquisitores appellantur.

3. Primum hæreticæ pravitatis Inquirentem ab Innocentio III. Pontifice constitutum fuisse B. Petrum de Castro Novo Monacho Ordinis Cisterciensis in Cœnobio Fontis Frigidi in Francia refert Ludovicus Paranus l. 2. de origine inquisitionis c. 1. his verbis: *Sanctissima Inquisitionis Officium eo tempore sumpsit exordium, quo impiis erroribus & blasphemis execrabilibus Albigenis Comitatus Tolosanus infectus, & pene extinctus erat. Tunc enim gloriosus DEUS in Innocentio III. Summo Pontifice*

fice eam mentem. iniecit, ut Petrus de Castro Novo Monachum virtutis, & sanctitatis gloria florentem crearet Legatum, & ad illam Provinciam ad Christum Salvatorem nostrum reducendam mitteret. Idem tradit Vincentius Bellovacensis in *spec. Hist.* l. 29. c. 93. aliique.

4. Quamvis vero B. Petrus de Castro Novo missus fuerit ab Innocentio tanquam Legatus, & Missionarius Apostolicus contra Albigensum errores, & perversa dogmata, titulum tamen Inquisitoris eidem attributum fuisse non reperio; Sed hunc S. Dominico Ordinis Prædicatorum Fundatori primo delatum esse testantur Historiæ, circa annum millesimum ducentessimum octavum, quando ex Hispania Episcopum suum comitatus contra Albigensum aliorumque errores fidem Christi in partibus Tholosanis magno zelo propugnavit.

5. Cumque eodem sæculo Hæretici, qui à nonnullis Cathari, Patareni, Virtæ-Credentes, ab aliis Albanenses, Comotezenses, & Bagianenses, ab aliis aliter appellantur, iidemque esse videntur

eur, qui in Provincia Tolosana, sed in plures Sectas divisi, ulterius virus suum in Italiam, Lombardiam maximè & Pedemontium, tempore Schismatis, quod contra Alexandrum III. Pontificem Fredericus Imp. fovit, ut est in vita S. Galadini Archi-Episcopi Mediolanensis, effunderent, opposuit se illis quoque annuente Summo Pontifice, istis in locis idem S. Dominicus, & exinde factum, ut alumni ejus, qui integritate vitæ, & literarum scientia florebant, Inquisitores hæreticæ pravitatis per Italiam, Hispaniam, Siciliam & Sardiniam à Sede Apostolica constituti sunt.

6. Inter primos Inquisitores in Italia post S. Dominicum fuit clarissimum illud fidei Catholicæ Lumen S. Petrus Veronensis, qui Anno 1232. Mediolani constitutus est Inquisitor à Gregorio IX. Coelius, in quo officio confirmatus videtur ab illius Successore Innocentio IV. Thom. de Lentino, qui etiam eidem munus contulit pro ditione Cremonensi. Oder. Raynaldus in Chronolog. ad Annum 1252. Eodem Inquisitoris Officio functus est Sanctus Florentiæ. Taegius. & Comi. Franc. Bellarminus, totaque Lombardia Seraph. Raynaldus

zius

rius, in qua etiam pro fide sanguinem suum Martyr gloriose profudit.

7. Hoc munus Sacrorum Inquisitionum contra Hæreticorum pestem exequuntur hodie dum PP. Dominicani per totam ferè Italiam excepta Tuscia, in quæ hæc Provincia Authoritate Pontificia Fratribus Ordinis Minorum Conventualium demandata est, ideoque in Congregatione S. Officii, unus ex hoc Ordine inter Consultores confidet, ut dicetur infra. In nonnullis etiam Civitatibus Sereniss. Domini Veneti & Patavii Inquisitores sunt Patres ejusdem Ordinis D. Francisci.

8. In tota vero Hispania Ferdinando V. Aragoniæ, & Castellæ rege stipulante abdicavit se Dominicanorum familia Inquisitionum officio circa Annum 1486, & Authoritate Pontificis commissum id est Clericis sæcularibus Canonum & Legum peritis.

9. Quare jussu Regis & ex permissione Pontificis instituit Cardinalis Mendozius officium S. Inquisitionis, eique adhibito Doctorum Virorum consilio leges & ordinem præscripsit in tota Hispania, & Regnis, Provinciis Insulisq; Regi Catholico subjectis observandum. *axov t. 1. l. 8.*

l. 8. c. 18. Senatores hujus S. Congregationis offeruntur Regi approbandi, qui ab Inquisitore Generali electi fuerint; Hic vero ad nominationem Regis à Pontifice creatur. *Simanc. Cath. inst. tit. 24. n. 6.*

10. In cæteris Regnis ac Provinciis Catholicis, ut Gallia, Germania, Polonia, aliisque in quibus non sunt constituti Inquisitores Apostolici, funguntur hoc munere Episcopi, quibus jure communi id competit, ut in omnes Hæreticos non exemptos tanquam Ordinarii Judices inquirent, in exemptos vero tanquam à Romana Sede delegati, & si in hoc suo munere negligentes fuerint, Episcopatu privantur. *Conc. Milevit. c. 25. Tolet. II. Can. 7. Lateranense. sub Innocentio III. c. 3.*

11. Hæc ordinaria Episcoporum jurisdictionis non tollitur omnimodè iis in locis, in quibus Authoritate Pontificia Inquisitores constituuntur, sed utrique possunt seu simul, seu seorsim de Hæresi cognoscere. *Clem. 1. §. Propter quod de Hered. Simanc. de Cathol. inst. tit. 34. n. 38.* Et si Episcopus seorsim cognoscat, debent acta judicii Inquisitoribus communicari, ac vice versa, ut per utrosque

P P

simul

simul sententia feratur. *Clem. 1. §. 1. de Heret. c. Ut commissi §. privandi de Heret. in 6.* In Hispania si non conveniunt Episcopi & Inquisitores, defertur causa ad Senatuum Inquisitionis, si nec Senatores conveniant, devolvitur tota causa ad Romanum Pontificem. *Simanc. l. 6. tit. 25. num. 4.*

§. 2.

De Qualitatibus Inquisitorum.

1. Prima est etas quadraginta annorum.
2. Nisi deputentur à Papa, vel sint pro Hispania vel Lusitania, tunc enim 30. anni sufficiunt.
3. Secundo requiritur, ut Inquisitor sit Theologus, vel Canonista. Sed uter aptior?
4. Tertia qualitas est prudentiæ
5. Quarta morum & vitæ honestas.
6. Quinta legitima potestas & jurisdictio.
7. Quam olim habebant à Generalibus & Provincialibus Ordinum.
8. Nunc à Pontifice, vel Congregatione sancti Officii.

I.

Jura & Constitutiones Pontificum diversas in Inquisitore requirunt qualitates. Prima est; Ut attigerit annum quadragesimum. *Clem. Volentes de Heret.* Si ab alio, quam à Papa immediate deputetur. *Glos. ibid. V. Committi.* Adeoque major in eo requiritur ætas, quam in Episcopo, in quo annus solum trigessimus requiritur. *c. Cum in cunctis §. 1. de Elect.* Licet sit jure communi Inquisitor Ordinarius. Sed cur ita? Glossa ibidem *V. Quadragesimum* respondet hoc esse de arbitrariis, de quibus non cogimur reddere rationem. *l. Non omnium ff. de leg.* Sed aptius fortè Abbas in *c. Cum in cunctis §. 1. de Elect.* Quod officium Inquisitoris non committatur cum tanta indagazione, cum quanta eliguntur Episcopi, qui habentur ex omni parte idonei.

2. In eo vero qui deputatur immediate à Papa, hæc ætas non requiritur, sed valet constitutio, etiamsi Papa ignoret ætatem. *Farin. tract. de here. q. 186. n. 41.* In Hispania quoque ex concessione Pontificis eligi possunt Inquisitores, si trigessimus solum ætatis annum attigerint. *Siman. l. c. tit. 34. n. 12.* Quod ex specia-

P p 2

li

li pariter indulto S. Pontificis observari quoque in Regno Lusitaniæ tradit Souza. in *Aphorif. l. 2. c. 1. n. 8.*

3. Secundo requiritur, ut Inquisitor sit Theologiæ, vel Juris Canonici peritus. *Const. Urbani IV. & Clem. IV. Præcavetis.* Quæri hic solet à nonnullis, aptiorne sit ad hoc munus Theologus, vel Canonista? Canus *l. 8. c. 7. de Loc. Theol. &* quidam alii stant pro Theologis, quia Theologorum est Fidei dogmata perspecta habere, eaque propugnare, & Hæreses discernere ac confutare. Simancas *de Cath. instit. tit. 41 n. 3.* aliique præferendos censent Canonistas, ob causas, lites, & controversias juxta leges, Canones & jura dirimendas. In Italia ut plurimum Theologi constituuntur; In Hispania vero cæterisque illis subjectis Provinciis, ac in Insula Melitensi Juris Pontificii periti. Certè mutuâ utriusque indigent opera; Theologi Jurisconsultorum adminiculo ob lites, & Jurisconsulti Theologorum consilio ad internoscendas hæreses. Azorio, quamvis alioqui Theologo, uti de seipso loquitur. *p. 1. l. 8. c. 18.* præponderare videtur Juris intelligentia tanquam magis necessaria

saria, dummodo Theologorum quoque consilium adhibeatur.

4. Tertio requiritur Prudentia *cit. Const. Præ cunctis Urbani IV. & Clementis IV.* Quæ uti in omni Magistratu necessaria est. ita vel maximè in Officio Inquisitoris exercendo. *Carena de Offic. inquisit. p. 1. tit. 5. part. 3.*

5. Quarto requiritur morum honestas, & vita religiose instituta *cit. Const. Præ cunctis Urbani IV. & Clem. IV.* Quia ut ait Philo in lib. de Legatione ad Cajum: *Solet DEUS bonis viris bona consilia, & Reipublicæ commoda suggerere.* Integritas autem vitæ morumque honestas consistit in sobrietate, modestia, patientia, mansuetudine, diligentia, clementia; & acerrimo Justitiæ cultu. *Carena l. c. §. 4 part. 4.*

6. Quinto requiritur legitima potestas & jurisdictio, quam accipit Inquisitor à Pontifice vel immediatè per litteras Apostolicas, aut vivæ vocis oraculo, vel mediatè à Cardinali aut Legato aliquo Apostolico, cui commissum fuit, ut Inquisitores constituat.

7. Olim instituebant eos Generales & Provinciales Ordinum Prædicatorum per Bullam Innocentii IV. *Odore suavi &*

Alexandri IV. *Olim presentiens*, ac Franciscanorum per Bullam Clementis IV. *Licet ex omnibus* & Alexandri IV, cujus initium quoque est: *Licet ex omnibus*.

8. Hoc tempore tamen Inquisitores eliguntur à Pontifice, vel per Breve, ut Mediolani & Genuæ fieri solet, vel, ut ordinariè, per literas patentes à Sac. Congregatione Cardinalium supremorum Inquisitorum emanatas. *Carena l. c. §. 3.* In Hispania solum, ut supra diximus, nominat Rex Inquisitorem Generalem, qui à Pontifice confirmatur. Hic deinde eligit reliquos Inquisitores, Visitatores & Ministros. *Azoy, l. c.*

§. 3.

De Officio Inquisitorum.

I.

Officium Inquisitorum hæreticæ pravitatis est; Procedere contra Saracenos, qui ad Christi fidem conversi ad Saracenorum sectam redierunt. *Greg. XI. Const. 2. Admodum.*

2. Contra Christianos ad Judæorum ritus transeuntes, & Judæos conversos ad

ad eosdem redeuntes. *Nicolaus IV. Const.*

1. *Turbato.*

3. Contra Hæreticos judicialiter confessos, & obstinatos etiam illorum Diocesanis irrequisitis. *Alexander IV. Const. 9. Ad capiendum.*

4. Contra Hæreticos, eorumque fautores, & negotio inquisitionis se opposcentes. *Innoc. IV. Const. 16. Quia.*

5. Et contra quoscunque etiam exemptos in causis Fidei *Alexander IV. Const. 22. Ne commissæ. Pius IV. Const. 51. Pastoris. Paulus V. Const. 26. Romanus.*

6. Etiam contra quoscunque Regulares in causa Hæresis. *Clemens VII. Const. 27. Cum sicut.* Dummodo eorum Superiores non prævenerint. *Pius IV. cit. Const. 51. Pastoris.* Sed *Paulus V. l. c.* censuit absolute Inquisitores tantum contra eos procedere debere.

7. Contra Prædicatores proponentes scandalosas propositiones, vel à fide discrepantes. *Paulus III. Const. 30. In Apostolicis.*

8. Contra maleficos. *Innocent. VIII. Const. 1. Summis.* Et sortilegos cum diabolo pactum facientes, ac à fide apostotando alios lædentes. *Greg. XV. Const. 46. Omnipotens Dei.*

9. Con-

9. Contra Astrologosjudicarios *Sixtus V. Constit. 17. Cæli & terræ Creator. Et contra eosdem, qui de Statu Reip. Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, seu vita Rom. Pontif. aut ejus Consanguineorum judicia facere, nec non eos, qui illos desuper consulere præsumperint. Urbanus VIII. Const. Inscrutabilis.*

10. Contra eos, qui ad Presbyteratus Ordinem non promoti Missas celebrant, vel Sacramenta Ecclesiastica ministrant. *Greg. VIII. Const. 21. Officii. Clem. VIII. Const. 81. Et si alias, Urbanus. VIII. Const. 79. Apostolatus.*

11. Contra Sacerdotes, qui mulieres pœnitentes in actu Confessionis ad actus inhonestos sollicitant. *Pius IV. Const. 31. Cum sicut. Greg. XV. Universi.*

12. Contra omnes etiam Regulares audentes in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscunque actibus publicis asserere, quod Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. S. Congreg. universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostol. coram Paulo V. 31. August 1617, quod contra asserentes idem in Sermionibus, scriptis privatis extendit eadem S. Congregatio coram Greg. XV. 24. Maji

Maji 1622. *Barbosa, in Collectar. Bullarii V. Inquisitores.*

13. Porro Inquisitoris officium non expirat morte Papæ aut delegantis. *c. Ne aliqui 10. de Heret. in 6.* Sive deputati sint immediatè à Papa, sive ab aliis illo inferioribus. *Azor. l. c. cap. 18.*

§. 4.

De Privilegiis Inquisitorum!

I.

PRivilegia Inquisitorum sunt. 1. Quod non possint excommunicari à Delegatis Sedis Apostolicæ absque speciali ejusdem Sedis licentia faciente mentionem hujusce Privilegii. *urbanus IV. Const. VI. Inquisitoris.*

2. Possunt Inquisitores, eorumque Socii se invicem ab excommunicatione absolvere in casibus, in quibus absolvi possunt ab eorum Superioribus, & in iisdem casibus dispensare secum in irregularitate. *urbanus IV. Constit. ut negotium fidei.*

3. Possunt

3. Possunt indulgentias 20, vel etiam 40 dierum concedere omnibus audientibus eorum concionem occasione Apostolicæ inquisitionis, ex indulto plurimum Pontificum. *Eymericus in Directorio* 3. p. quest. 127.

4. Possunt interpretari statuta tam Ecclesiastica, quam secularia contra hæreticos edita. *Innocentius IV. Const. 15. Cum negotium fidei.*

5. Possunt Hæreticos ad Ecclesias confugientes capere, nec in hoc sub quovis prætextu ab Episcopis possunt impediri. *Joan. XXI. Constit. 1. Ex parte nostra.*

6. Ipsi & res eorum sunt immunes ab omnibus oneribus, datis, guidagiis, portibus, aliisque quibuscunque gravaminibus. *Royas de hæret. p. 2. n. 421.*

7. Pensiones reservatæ Authoritate Apost. S. Officio sunt immunes à solutione quinquennii. *Carena de Offic. Inquis. p. 1, tr. 5. §. 13.*

8. Beneficia eorum sunt immunia à solutione decimarum *Carena l. c.* Atque aliis fruuntur Inquisitores privilegiis & prærogativis, quas *Royas de Hæret. part. 2. in Rubr. de Privil.* Inquisitorum enumerat omnino 145.

Inquisi

Inquisitores tamen & eorum Ministri percipere non possunt in absentia distributiones quotidianas Canoniarum, Dignitatum aut aliorum beneficiorum, nisi speciali privilegio aut indulto Apostolico, id illis fuerit concessum; Sic Sacra Congregatio Concilii & Congreg. S. Officii teste Garcia *de benef.* p. 3. c. 2. n. 256. & Carena *l. c.*

Nec excusat Inquisitoris Officium Episcopum & Parochum à Residentia S. Congreg. Conc. apud Gonzalez. *in Reg.* 8. *Can. glos.* 43. n. 164. & Garc. *de benef.* p. 3. c. 2. n. 42.

9. Inquisitores Ordinis Fratrum Prædicatorum & Minorum non tenentur obedire Prælati suorum Ordinum in concernentibus Officium S. Inquisitionis. Alexander IV. *Const.* 23. *Catholica.*

10. Debetur Inquisitoribus Titulus *Reverendissimi*: tum quia delegati sunt à Summo Pontifice in causis fidei, quo ad jurisdictionem ad præcipuam partem muneris Episcopalis, tum quia hic Titulus tribuitur Vicariis Episcoporum, qui longè inferiores sunt Inquisitoribus in causis ad S. hoc Tribunal spectantibus. Nec obstat quod Congregatio S. Officii tribuat illis tantummodo Titulum, *Reve-*

Reve-

Reverendi vel *multum Reverendi*, nam hæc est Superior Inquisitorum, hinc tamen non deducitur nec à Subditis, vel aliis quibus Inquisitores non subparent, hunc titulum illis deferendum non esse. *Carena l. c. §: 6.*

§. 5.

De reliquis Ministris Sancti Officii.

De Vicario Generali S. Officii.

I.

Possunt Inquisitores plenariè committere vices suas Vicario Generali habenti eandem cum ipsis facultatem, excepta potestate delegandi, *Pius II. Const. Cum dudum, & Clemens VII. Const. Cum sicut.* *Carena de offic. inquis. part. 1. tit. 7. §. 1.*

2. De Vicarii Inquisitoris seu Commissarii ætate fuit inter auctores controversia, sed diremit eam Clemens VII. per Rescriptum: *Cum sicut*, in quo statuitur sufficere, si trigesimum ætatis annum attigerit.

3. Regulariter concedi solet Vicariis Generalibus facultas sumendi informationes.

tiones, citandi, monendi, præcipiendi, excommunicandi, carcerandi, definiendi, terminandi & exequendi, omniaque alia faciendi, quæ potest ipsemet Inquisitor facere, exceptâ sententia relapsorum, & impœnitentium, quam solent sibi reservare Inquisitores. *Emericus 3. p. n. 37. & 40. ibique Pagn. comment. 10.*

4. Vicarii hi electi ab Inquisitoribus confirmari debent ab Eminentissima Congregatione, prout decrevit eadem S. Congregatio Inquisitorum Generalium, adeoque cum Vicarii jurisdictionem suam habeant à dicta S. Congregatione, non expirat Jurisdictio eorum per mortem aut remotionem Inquisitorum. *Carena l. c. §. 5.*

De Consultoribus.

5. Quamvis de Jure possint Inquisitores eligere sibi Consultores seu Assesores in negotiis ad S. Officium spectantibus, atque etiam possint eos ad id cogere. *c. ut commissi §. Advocandi quoque de de baret. in 6. ut fit Papiæ aliisque multis Civitatibus, Cremonæ, tamen Mediolani aliisque in locis eligi solent à S. Con-*

S. Congregatione Inquisitionis generalis, à qua dependent, nec nisi ab ea removeri possunt. *Carena de Offic. Inquis. p. 1. tit. 9. §. 1.*

6. Eligendi vero sunt in Consultores Viri prudentes, probi, periti honesti & providi, licet Laici sint & uxorati, ex quibus aliqui sint Theologi, aliqui Canonistæ, aliqui Jurisconsulti, *Car. vernal. c. §. 2.*

De Qualificatoribus Propositionum.

7. Qualificatores sunt, qui sententiam suam dicunt de qualitate propositionis ab aliquo prolatae, an nimirum hæretica sit, an sapiat hæresin, an sit scandalosa, temeraria &c. Ideoque ad qualificandam eo modo propositionem assumuntur Theologi, qui qualificatores appellantur. *Royas de Hæret. 1. p. 1111. 384. & 204.*

De Advocato Fiscali.

8. Cum inquisitores habeant Fiscum seu ærarium, in quo bona Hæreticorum ex pœna confiscationis imposita asserventur, eligere sibi possunt, prout passim in Inquisitionibus fieri solet, Advocatum

vocatum Fiscalem. *Simancha de Cathol. instit. 53. de Promot. Fiscali.*

9. Debet is esse vir probus, industrius, diligens, fidei zelator & Juris-peritus. *Simanch. l. c.* præcipuè vero verus esse debet in delictorum ad S. Officiu[m] spectantium, & eorum poenis, ac Bullarum Apostolicarum in materiis hujus Tribunalis editarum cognitione, *Tapia in Jure regn. Neapol. l. 2. de Offic. Advocat. num. 13.*

10. Officiu[m] Advocati Fiscalis est 1. porrigere accusationes contra Hæreticos post assumptas in Summario Judicio contra eos informationes. 2. Tueri debet pro viribus jurisdictionem S. Officii. 3. Dicta testium exquirere, libros denuntiationum revolvere, processus contra reos scrutari ac instare, ut iidem carceribus mancipentur, poenisque debitis mulcentur. 4. Instare coram Inquisitoribus, ut edicta fidei promulgentur sæpius. *Carena de Offic. Inquisit. p. 1. tit. 9. §. 4.*

De Advocato, & Procuratore Reorum in sancto Officio.

11. Solet in Tribunalibus S. Officii constitui

constitui unus Advocatus, & unus Procurator Reorum. Hi debent esse viri de Hæresi non suspecti, fidei zelatores, probi, in utroque Jure bene versati.

12. Uterque debet I. juramentum præstare de secreto observando, & de Reo bene ac fideliter defendendo. II. Debet Advocatus omni conatu contendere, ut reum ad veritatem faciendam inducat, & si cognoscat causam rei esse injustam, eam omnino deserere. III. Tueri debet reum legitimis tantummodo modis. IV. Brevis esse debet in allegationibus Juris. V. Post munus suum expletum debet Processum sibi ab Inquirente consignatum S. Officio re-consignare.

13. Advocati compelli possunt ab Inquirentibus ad patrocinandum, & si rei pauperes sint, tenentur gratis patrocinari, si vero sint opulenti, ex bonis illorum salaria illis præstari debent. *C. vena de offic. Inquis. p. I. tit. 10.*

Hæc quæ de Advocato dicta sunt, intelligenda quoque sunt de Procuratore.

De Vicariis Foraneis S. Officii.

14. Solent Inquisitores eligere in Dicecesi sibi delegata aliquos Ecclesiarum Rectores doctos & pios, eosque Vicarios suos foraneos, ad differentiam Vicarii Generalis constituere.

15. Hi fidei debent esse zelatores, viri probi, & in materia S. Officii versati. Nullam vero habent dignitatis præeminentiam.

16. Facultas eorum dependet ab Inquisitore, regulariter concedi illis solummodo solet instructio offensivi processus, ita tamen ut in eo instruendo sæpius de his, quæ peraguntur moneant Inquisitorem, ideoque neminem carceribus mancipare possunt, nisi præmonito Inquisitore, vel summa adesset necessitas
Carena de Offic. Inquis. p. I. tit. II.

De Notariò S. Officii.

17. Ex constitutione Pii IV. *Pastoralis Officii cura* & Julii III. possunt Inquisitores unum vel plures Notarios sæculares, vel Ecclesiasticos, etiam regulares sibi in Notarios eligere, nimirum tradito illis calamo, & atramento, addito solenni

Qq

ni

ni juramento & verbis consuetis :
Esto Notarius, & fidelis.

18. Munus Notarii S. Officii est diligenter & fideliter scribere acta S. Officii, recipere denuntiationes coram Inquisitore, vel ejus Vicario, instrumenta ad hoc Tribunal spectantia recipere, & alia peragere, quæ Notarii in similibus Tribunalibus facere consueverunt; In primis vero servare debet secretum, quod promittere debet, sub poena perjurii, & excommunicationis latae sententiæ *Carena de Offic. inquis. p. 1. tit. 12.*

De Thesaurario sancti Officii.

19. Congregatio S. Officii specialiter decrevit, fructus, redditus, & proventus uniuscujusque Inquisitionis nõ Inquisitoribus, sed Thesaurario S. Officii consignandos ab eoque asservandos esse.

20. Eligi vero debet in Thesaurarium vir probus & locuples, qui que sciat rationes conficere & referre, ac, si ita visum fuerit Inquisitori, fide jubeat de re fiduis persolvendis.

21. Sæpius in anno arbitrio Inquisitoris rationes reddere debet coram eodẽ,
ut

ut Congregatio S. Officii informari possit de Statu Inquisitionis. *Carena l. c. tit. 13.*

De familiaribus armatis S. Officii.

22. Habere possunt Inquisitores familiam armatam, ut passim docent Canonistæ *in Clem. 2. de Hæret. §. fin.* in eam adlegendi sunt fideles, ac devoti, & laudabilis conversationis & vitæ. *Joan. XXII. Const. Exigit Ordinis vestri Religio.* In regnis Hispaniæ ex decreto supremi Senatus debent esse uxorati. Non debent esse alienigenæ, nisi magna subesset causa: *Pegna comm. 105.*

23. Familiares illi armati non debent abuti armis, sed tantum in eum finem, ob quem illis concessa sunt, nimirum ad capiendos Hæreticos, & ad personam Inquisitoris, & suam defendendam. Tenentur vi juramenti, quod præstant coram Inquisitoribus, denunciare Hæreticos, & de hæresi suspectos, & si id facere negligent, fautores dicuntur Hæreticorum, & ut tales possunt puniri. *Carena de Offic. Inquisit. p. I. tit. 14.*

De Custode Carcerum S. Officii.

24. Ad hoc munus eligi debet ab Inquisitoribus vir probus, & diligens, quia improbi custodiri magis debent, quam alios custodire. *Simancha de Cathol. institutis*, 41. n. 6.

25. Juramentum præstare debet I. In custodia Immutatorum & aliorum pro hæresi omnem se diligentiam, quam poterit, adhibiturum. II. Ne quis in secreto incarcerato loquatur. III. Nul- lam se facturum fraudem in his, quæ Incarcerato mittuntur.

26. Habet præterea hoc Tribunal Nuncios suos & cursores, quibus à S. Congregatione universalis inquisitionis stipendia constituta sunt.

§. 6.

De Tribunali Universalis
Inquisitionis.

I.

CUm sub initium sæculi decimi quin-
ti Lutherana hæresis totam ferè
Germaniam infecisset, & aliquas etiam
Italiae

Italiae partes afflassat, ne virus hoc longius serperet, sed eo jam infecti opportunis remediis curarentur, erexit Paulus Pontifex hujus nominis III. Anno 1542. *Const. 34.* quæ incipit: *Licet ab Initio* Congregationem sancti Officii, seu Tribunal universalis inquisitionis; Quam deinde Congregationem nonnulli in Sede Apostolica illius Successores approbarunt, pluribusque privilegiis, & facultatibus auxerunt Pius IV. *Const. 79. Cum nos.* Pius V. *Const. 21. Sanctissimus & Const. 22. Inter. & Const. Cum felicis.* Sixtus V. *Const. 74. Omnes.*

2. In hac Congregatione seu Tribunali discutiuntur omnes causæ & materiæ hæreticam pravitatem, schismata, Apostasiam à fide, magiam, sortilegia, divinationes, Sacramentorum abusus concernentes, adeoque cognitionem habet supremam de Religione, non ut novos fidei articulos conficiat, sed ut quæ contra fidem commissa sunt, judicet, puniatque Paulus III. *Const. 34. Licet, & Sixtus V. Const. 74. Immensa.*

3. Præterea cognitionem habet omnium penitus causarum, cujuscunque generis illæ sint, Officialium & Ministrorum S. Officii, necnon administrantium bo-

na & jura, quæ ad hoc Tribunal pertinent, ac cumulativam habet jurisdictionem cum Magistro S. Palatii, & Congregatione Judicis librorum.

4. Ad hoc quoque Tribunal spectat dispensare cum Hæreticis post magnam pertinaciam pœnitentibus in carcere perpetuo. Illud quoque, & non Inquisitores tollere potest infamiam ob hæresin, contractam. *Carena de Officio Inquisit.* p. 1. tit. 2.

5. Solet etiam recurri ad hoc Tribunal, cum in Sententiis ferendis discordant Inquisitores ab Episcopis, ut praxis docet, causas quoque appellationum ad S. Sedem in dictis materiis plenissimè idem Tribunal cognoscit. *Paulus III. Const. 34. Licet §. 8. & 9.*

6 Hanc Congregationem constituunt imprimis Cardinales à Pontifice eo numero, quo ipsi visum fuerit, delecti, omnes literis, experientia, & fidei zelo conspicui. Deinde quamplurimi Prælati, alique Theologi diversorum Ordinum, atque etiam quandoque nonnulli Clerici sæculares Canonum, & S. Theologiæ periti, qui omnes dicuntur Consultores S. Officii. Quos inter locum quoque habet Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, & Magister S. Palatii

Palatii, atque unus ex ordine Minorum Conventualium.

7. Sunt præterea in hac Congregatione alii Officiales Ordinarii, qui jurisdictionem exercent, Processus formant, reosque examinant. Horum unus Judicis Ordinarii partes gerit, & Commissarius S. Officii dicitur, estque aliquis ex Sacra D. Dominici familia è Provincia Lombardiæ, ideo fortè, quod in ea primum ob exortas hæreses Inquisitorum Officium isti Ordini, ut supra dictum, commissum fuerit. Hic Consiliarium habet, qui Assessor appellatur, est Prælati, vel aliquis è domesticis Papæ, quos vocant *Cameriere di honore*. Vel etiam Clericus sæcularis Canonum peritus. Præter hos pertinent ad Congregationem hanc Officiales quidam inferiores & Ministri, ut Fiscalis, Notarius & alii.

8. Commissarius, Assessor, Fiscalis, Notarius, cæterique inferiores Ministri continuo morantur in Palatio, quod S. Officii dicitur, prope Basilicam S. Petri in Vaticano, estq; locus, in quo hoc Tribunal habetur, ideoque carcerem habet, in quo Rei læsæ Majestatis Divinæ detinentur. Exstruxit hoc Palatium
Pius

Pius V. ad hunc usum amplum & magnificum cum hac inscriptione :

Pius V. Pontifex Maximus Congregationis S. Inquisitionis domum hanc, quo heretica pravitatis Sectatores cautius coercerentur, à fundamentis in augmentum Catholica Religionis erexit. Anno M. D. LXIX.

9. Supremi Inquisitores jurisdictionem habent supra omnes Patriarchas, Archi-Episcopos, Episcopos & Inquisitores & quascunque alias personas licet præeminentes *Pegna in 3. p. Directorii Comment. II.*

10. Facultatem habent ex concessione Pii IV. *Const. 82.* Cum intra. tenendi & legendi libros hæreticos, aut alios prohibitos, & concedendi aliis licentiam, ut eos habere & legere possint. Quam tamen facultatem, quoad opera Caroli Molinæ Hæretici limitavit & abstulit Clemens VIII. *in Const. 84. Apostolici.*

11. Possunt quoque iidem Cardinales seu Congregatio committere cuiuscunque Catholico Antistiti degradationem Clericorum assistentibus duobus Abbatibus, aut aliis personis in dignitate

tate

tate Ecclesiastica constitutis. Deputare quoque possunt Inquisitores ubivis locorum cum simili aut limitata facultate substituendi & subdelegandi. *Paulus III. Const. 34. Licet.*

12. Quod vero major pars Cardinalium istius S. Congregationis decernit, intelligitur à S. Congregatione, & omnibus decisum esse, prout statuit Pius IV. *Const. 79. Cum nos per nostrum, & validum esse censendum decrevit Pius V. Const. 23. Cum felicis recordationis.* Quod etiam major pars istorum Cardinalium præsentium statuit, vel duo, aliis absentibus à Congregatione, perinde est, ac si omnes, & singuli intervenissent.

13. Cæterum ut negotia tanti momenti ad hoc Tribunal universalis, inquisitionis spectantia, eâ, qua decet, maturitate coram ipso Pontifice, apud quem singulis Septimanis Congregatio convenit, discutiantur, ac decidantur, duæ præmittuntur Congregationes præparatoriæ, adeoque ter in Septimana hæc Congregatio celebratur.

14. Prima die Lunæ in Palatio S. Officii in Conclavi Commissarii Generalis, cui soli interfunt Consultores, in quo leguntur processus, & literæ Episcopo-

scoporum, ac localium Inquisitorum, aliaque examinantur, quæ Assessor relaturus est in secunda Congregatione.

15. Hæc secunda habetur die Nerecurii ante Meridiem, nisi ob festa incidenda dies & hora mutetur, in Cœnobio PP. Dominicanorum supra Minervam, in qua conveniunt Cardinales ad hanc Congregationem spectantes. His ergo congregatis accedit solus Assessor, & stando negotia occurrentia refert, ac processus, missasque literas, seu relationes prælegit, quibus auditis & à Cardinalibus ponderatis admittuntur Consultores, qui interim in aula exteriori præstolabantur, eorumque sententia expetitur, & determinantur ea, quæ Pontifici in tertia Congregatione sunt proponenda.

16. Hæc ergo tertia celebratur die Jovis proximè subsequente ante meridiem nisi impedimentum obstet, coram Pontifice; In principio hujus conventus adsunt præter S. Pontificem soli Cardinales cum Assessore, ac summatim referuntur ea, quæ in pridiana Congregatione Cardinalitia discussa fuerant, suamque quisque Purpuratorum inchoando à juniore edicit sententiam, ut ea, quæ videbitur, oraculo Pontificio firmetur.

metur. Tum admittuntur Consultores, eorumque consilio audito statuuntur ea, quæ agenda sunt, & decernuntur commissiones circa illa, de quibus missæ erant relationes, eæque deinde destinantur ad Episcopos, & Inquisitores locales Sigillo Congregationis, quod asservat unus è Cardinalibus subsignatæ. De Luca Rel. Rom. Cur. disc. 15. Lunadoro in sua Relatione.

C A P U T XVII.

Praxis Inquisitorum Sancti Officii.

S. I.

Præliminaria de obligatione & modis denunciandi Hæreticos.

1. *Hæresis crimen est publicum, ideoque denunciandum.*
2. *Contra Hæreticos proceditur tribus modis.*
3. *Quomodo per accusationem.*
4. *Quomodo per denuntiationem.*

4. Quia